



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

V. Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Meinulphus colloquio de rebus divinis audito ad meliorem vitam accensus, ad eandem inter occurrentes difficultates continuandas miris visionibus animatus, post mortem ope Deiparæ vitæ est redditus, ut quædam salutaria suos edoceret. *Nad.* O quàm alia hujus, quàm vanitati servientium fuere consilia.

S. Meinulphe, in cujus tumba cymbalum repertum est. Quod si cui è coenobio moriendum erat, sono suo signum edebat, impetra mihi hanc à Maria gratiam, ut non priùs moriar, quàm conscientiam intus monente me ritè ad mortem disponam. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omniam possibilibus & actualibus &c. *f. 190.*

Ad quod impetrandum: Foederatorum eorum me numero jungam, qui pro mutua invicem corporis & animæ incolumitate quotidie lauretanæ Virginis laudes recitant.

Divinum quoddam opus efformandum accepit, cum Matrem suam Virginem Mariam Deus condidit. *S. Bonav. c. 3 spec.*

Quæstio: An sicut Deipara nullam unquam habuit propensionem ad peccatum, ita aliquem habuerit fomitem ad virtutem? *v. Celad. in Justit. c. 8. §. 1.*